



PRIVILEGIO DE LA VILLA DE LVNA.



IN DEI NOMINE. AMEN. Noverint universi, quod anno computato à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, die verò, quæ computabatur vigesimo mensis Martij, apud Civitatem Cæsaraugustę Regni Aragonum, & in Aula superiori Domorum Diputationis dicti Regni, ubi Curia Domini Iustitię Aragonum solite est celebrari, & dum celebrabatur coram Illustri Domino Ludovico ab Exea & Talayero Locumtenente Illustrissimi Domini Don Augustini de Villanueva & Diez, Militis Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitię Aragonũ Curiam tenente, & celebrante, comparuit Petrus Iosephus de los Bayos Notarius Causidicus Cæsaraugustanus, ut Procurator legitimus, & eo nomine Iustitię, Iuratorum, Concilij, & Vniversitatis, singularũque personarum, vicinorum, & habitatorum Villę de Luna, & eius Aldearum, qui dicto nomine, ut veritas elucescat, & ubilibet cõstet, exhibuit, seu fidem fecit de quodam Regio privilegio in favorem dictorum suorum principaliũ concessio, cuius tenor sequitur, & sic se habet. IN DEI NOMINE, pateat universis, quod NOS Alphonfus Dei Gratia, Rex Aragonum, Sicilia, Valentia, Maioricarum, Sardinie, & Corsicę, Comes Barchinonę, Dux Athenarum, & Neopatrię, & etiam Comes Rosilionis, & Ceritanie illos tenemur specialium gratiarũ largitionibus favorabiliter ampliare, ac no-

A

stra

fra tenetur munificentia libertatibus congruis, & præ-
 rogativis extollere, & liberaliter decorari, & præferri
 honoribus, quos apud nostri fidelitatem probata con-
 stantia, & indata fidelitas accomodate servitorum ex-
 hibiti benemeritos efficiunt, ac habiles ad subscripta
 obtinenda, & idoneos representant, ut tales ob id qui-
 dem non solum per se gaudeant nostris adhæsisse ob-
 sequijs, & servitijs verum in suam progeniem, & poste-
 ritatem à nobis præmia consequantur: Pro parte, itaq;
 vestri, Iustitiæ, Iuratorum, & Proborum hominum, &
 singularum personarum Villæ de Luna, & eius Aldea-
 rum, & terminorum Maiestati nostræ fuit humiliter
 supplicatum, ut cum ex privilegio dictæ Villæ con-
 cesso per Illustrissimum Dominum Santium Regem
 Aragoniæ, & Pampilonensium indultum extiterit pa-
 riter, & concessum. Quod quicumque habitâtes, & ha-
 bitaturi in corona dictæ Villæ, dumtaxat tam mares,
 quam fœminæ fuissent ingenui, & Infantiones, & ab
 omni peita, quistia, & universis muneribus franchi, li-
 beri pariter, & immunes dignaremur, ex solita benigni-
 tate Regia dictam privilegium ampliâtes omnes,
 & quoscunque habitatores, & vicinos dictæ Villæ, &
 ipsius Aldearum, & terminorum licet in dicta corona
 non habitent ingenuos facere, & Infantiones, & inge-
 nuitatis, & Infantioniæ titulo, & privilegio insignire.
 NOS autem considerantes puram fidem, & legalitatē,
 ac sincere devotionis ardorem, quod vos dicti Iustitia,
 Iurati, & probi homines dictæ Villæ, erga nos, & Re-
 ges prædecessores nostros continuè, ac laudabiliter ge-
 sistis, & opere demonstrastis signanter, nunc dum re-
 belione Federici dicti olim Comitis de Luna, qui sumpto
 nefando Consilio ad Regem Castellæ capitalem, &

3

hostem inimicum nostrum se transtulit nobis, & nostris subditis inimicis, & dicto Regi Castellæ valitorē se constituens crimen læsæ Maiestatis, & proditionis damnabiliter incurrendo plurima, damna, & incommoda pro nostri servitio, & honore, ac Regia fidelitate servanda intrepide sustinuitis, ob quod ne dū vestræ supplicationi annuere, sed etiam maioribus gratiarum, & prærogativarum exhibitionibus cogimur, vos utique compensare tenore præsentis cartæ nostræ cunctis temporibus valitura per nos, & nostros hæredes, & successores quoslibet liberalitate mera, & ex gratia speciali concedimus vobis dictis probis hominibus, & Vniversitati dictæ de Luna, & Aldearū ipsius, quod non solum illi, qui habitant in dicta Villa de Luna, & eius Aldeis, ac eorum termino Christiani, tam mares, quam fœmine, & ibidem sua foventes domicilia cum omnibus bonis progenie, & posteritate vestris, eorum sitis, & sint franchi, liberi, & immunes, & vos, & ingenuos Infantiones, & exemptos facimus in æternum ab omni scilicet, quistia, peita, & universis muneribus, quomodo aliquo dici possent, vel etiam nominari decernentes, ac etiam volentes de dicta nostra certa scientia, quod omnes habitantes, seu habituri in dicta Villa, & eius terminis, & Aldeis sitis, populati ad modum Infantionie, & gaudeatis, & gaudere possitis omnibus illis franchitatibus, honoribus, privilegijs, libertatibus, immunitatibus, & prærogativis, ac favoribus quibus habitatores dictæ Coronæ, & Infationes consimile privilegium Infantionatus obtinentes gaudent, & cū integritate utuntur, & soliti sunt gaudere mandantes cū præsentibus, & singulis Officialibus, & subditis nostris præsentibus, & futuris dictorumque Officialium

4
lium, Locatentibus, ad quos spectat, sub nostre gratie,
& mercedis obtentu, ac poena duorum mille floren-
rum aurei de Aragonia nostro Erario applicanda, qua-
tenus gratiam, & concessionem nostram huiusmodi,
omniaque, & singula supradicta teneant firmiter, & ob-
servent, tenerique, & observari faciant inviolabiliter
per quoscumque, & non contraveniant, aut faciant,
seu permittant aliquem contravenire quavis causa. In
cuius rei testimonium presentem fieri iussimus nostro
sigillo minori pendentem munitum. Datt. Cæsarauguste
die vigesima tertia Februarij, anno à Nativitate Domi-
ni millesimo quadringentesimo trigesimo, regni que
nostro quinto decimo. Sig ✠ num Alphonsi Dei gra-
tia, Regis Aragonum, Siciliae, Valentie, Maioricarum,
Sardinie, Corsicæ, Comitum Barchinonæ, Ducis Athe-
narum, & Neopatriæ, ac etiam Comitum Rosilionis, &
Ceritanie, qui hæc concedimus, & firmamus Rex Al-
phonfus. Testes sunt Nobiles Reimundus de Pillioni-
bus Menescalus, Ioannes de Bardaxi, Scutifer mensæ,
& Nobilis Galenardus de Sancta Pare Camarlengus,
Franciscus de Ciscar Camerarius, Raimundus Gila-
bert Execius armorum Milites. Sig ✠ num mei Petri
Perez dicti Domini Regis Scriptoris, eiusque authori-
tate Notar. publici per totam terram, & dominatio-
nem suam, qui loco, & vice Ioannis Olzina eius Secre-
tarij de mandato dicti Domini Regis prædicta scripsi
feci, & clausi corrigitur autem in lineis xij. illi qui ha-
bitant in dicta Corona, sed etiã omnes illi, qui in xij.
habitant, & habitant in dicta Villa. Dominus Rex man-
davit mihi Ioanni Olzina in itinerum viij. registrata.
Quo quidem Regio privilegio, sic, & promittit exhibi-
to, & fidefacto dictus Procurator dixit, quod cum ip-
se,

5
se, seu dicti eius principales velint, & intendant, se de
eodem iurare in diversis partibus, & audientijs, & Cu-
rijs præsentis Regni, & extra illud, videaturque nimis
periculosum dictum originale privilegium Regiū por-
tare, & transportare propter multa viarū pericula, &
discrimina, que eventire possunt: ideo supplicavit dicto
Domino Locumtenenti dictum Regium privilegium
in libro, sive registro actuum communium præsentis
Curia apponi inseri, & registrari mandaret, & ex illo
transumptum autenticum expediri iuveret: & dictus
Dominus Locumtenens auditis prædictis, & per dictū
Procuratorē supplicatis, visoque, & inspecto dicto ori-
ginali privilegio sano, integro, nō vitiato, nec cācella-
tō, nec in aliqua eius parte suspecto; imō omni vitio, &
suspitione carenti dictum Regium privilegiū in libro,
sive registro actuum cōmunium præsentis Curia appo-
ni inseri, & registrari mandavit, ex illoque transump-
tum autenticum in forma, & iuxta styllum præsentis
Curia expediri iussit volens, & decernens, quod eidem
transumpto autentico ab omnibus, vbi que tam in iu-
dicio, quam extra plena, & in dubitata fides adhibea-
tur tanquam dicto met originali Regio privilegio de-
super inserto, exhibito, & fide facto, ad quod suam au-
thoritatem, & decretum iudiciale interposuit, sub his
verbis. NOS Orentius Ludovicus Camorā, T. V. D.
Locumtenens Illustrissimi Domini Don Augustini de
Villanueva & Diez, Militis Maiestatis Domini nostri
Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, mediante Il-
lustrissimo Domino Doctore Dō Ludovico ab Exea
& Talayero, etiam Locumtenenti dicti Illustrissimi
Domini Iustitiæ Aragonum Curiam tenente, & cele-
brante visa, & intellecta supplicatione nobis per dictū

Pro-

6
Procuratorē facta, visoque, & inspecto dicto originali privilegio Regio desuper exhibito, & inserto, sano, integro non vitiato, nec in aliqua eius parte suspectos; imò potius omni vitio, & suspitione carenti illud in dicto libro, sive registro actuum communium præsentis Curia apponi, inseri, & registrari mandamus, & ex illo transumptum authenticum fieri iuvemus volumusque, & decernimus, quod eidem transumpto autentico per Notarium nostræ Curia extracto in forma que, & iuxta stylum præsentis Curia expedito ad omnibus, ubique, & tam in iudicio, quam extra plena fides adhibeatur tãquam dicto met originali privilegio Regio in quo nostram auctoritatem, & decretum iudiciale interponimus, quod fuit acceptatum per dictum Procuratorem ad eius requisitionem fuit per Notarium dictæ Curia factum, & confectum instrumentum publicum præsentibus ibidē pro testibus ad præmissa Michaelē de Burgos, & Bartholomæo Terres Notarijs Regijs Cæsaraugustæ habitatoribus vocatis, & assumptis.

Atesto yo la yme de Latre y Latrás, Notario, y Regente una de las Escrivanias de la Corte del Illustrissimo Señor Justicia de Aragon, que el presente transumpto está continuado en el registro de la dicha Corte, y Escrivania de Pedro Francisco de Guello, del año mil seiscientos quarenta y seis, y que concuerda con su original. En fe de lo qual lo signè con mi acostumbrado

Sig. no.